

44

Q. B. V. D.

EXERCITIUM ACADEMICUM,

De

# INCOMPREHENSIBILITY CREATIONIS EX NIHILO,

QVOD,

SUFF. AMPL. FACULT. PHIL. IN REG. AC. ABOËNSI,  
PRÆSIDE,

## CAROLO FRIDER. MENNANDER,

SCIENT. NAT. PROFESS. REG. ET ORD.

REG. SCIENT. ACAD. MEMBR.

EXAMINI PUBLICO MODESTE SUBMITTIT

STIPENDIARIUS REGIUS,

MARTINUS JOHAN. WALLENIUS, *Joh. Fil.*

AUSTRO-FINL.

IN AUD. SUP. DIE. XXIII. JUNII. ANNI MDCL.  
H. A. M. C.

---

ABOË, Excid. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

S:æ: R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Generosissimo atque Nobilissimo Domino,  
**SAMUELI**  
**BLOMFELDT,**  
JUDICI Provinciali æqvissimo,  
MÆCENATI MAXIMO.

**H**aud temere nec inconsiderate in animum induxi, rur de hoc tirocinium Illustri Tuo Nomini adscribere; quamvis non diffitear, vix absque baestatione ac timiditate quadam me hoc facere ansum fuisse. Merita Tua in patriam maxima, muneris Tui dignitas, generis nobilitas, famae celebritas, solida rerum cognitio, virtutes insignes & ab omni fuso alienissimæ, hacc inquam omnia, prius summam penes me excitant venerationem, ita me simul admonent, non levia esse debere, quae Tanto Viro sunt consecranda; tenues autem basce pagellas minime degnas esse, quae conspectum Tuum subeant. Ast ex adverso gravissimæ fuere rationes, quae vel invito mihi injunxerunt, ne opportunam hanc occasionem praetermitterem declarandi gratissimum & venerabundum erga Te animum, ut leto hocce, publico tamen documento. Qvod in se licet obscurum sit, gloriae tamen Tuæ nibit detrabit, sed eidem potius amplificandæ inserviet, cum heroicus animus

in eo maxime conficiatur, quod ne quidem abjecta manu-  
nera, dum pio offeruntur affectu, respuat, & a Tuo vi-  
cissim Nomine splendorem reportabit. Gratia illa, qua o-  
mnes literarum cultores amplecti soles, facilem ac laetum  
ad eandem mihi pollicetur accessum. Imprimis vero alte  
memoriae insixa sunt singularis ille Tuus favor, & be-  
nevolentiae innumera specimina, quae beatus Parens meus  
inde a juventute expertus est, quodque eum inter inti-  
mos retuleris amicos. Exigit etiam ipsa necessudo, quas  
me Tibi junctum esse impense mibi gratulor, ut quocun-  
que modo obsequium erga Te restatum faciam. Haec, pro-  
ut validissima mibi sunt incitamenta, ita fidem faciunt  
certissimam, fore, ut quas pia ac devotissima Tibi offero  
mente primitias qualescumque, summo tamen jure Tibi de-  
bitas, sereno suscipias vultu, & gratia Tua me in po-  
sterum quoque semper frui patiaris, eidemq; me commendata  
habeas. De caetero reddat supremum ac propitium  
Numen senectutem Tuam jucundam, eique omnis verae  
felicitatis continua addat incrementa!

## GENEROSSISSIMI NOMINIS TUI

Humillimus cultor,  
M. J. WALLENIUS.

S:z R:z M:z

MAGNÆ FIDEI VIR & JUDEX Provincialis,  
Generosissime atque Nobilissime D:ne  
**JEREMIA WALLEN,**  
PATRUE PROPENSISSIME.

**A**Rdensissimum illud, quod mihi Tecum intercedit, sanguinis  
vinculum, observantiae & obsequii ab ipsa natura mibi  
injuncti me admonet. Accedunt autem nova adhuc argumen-  
ta, quae idem quoque requirunt. Favoris ac benignitatis Tuæ  
exempla nobis exhibuisti plurima, beneficia haud pauca. Con-  
versatio Tui, quæ mihi frui aliquamau licuit, singulari co-  
mitate ac suavitate ornata, prout mibi fatio semper jacun-  
dissima, sic, Te jam absente, est desideratissima. Haec & me  
grata saepius recoluntur memoria. Et quia commoda mibi de-  
fuit occasio, reverentiam & gratum erga Te animum testan-  
di; proinde praesentem eo lubenter arripui, cum publice hoc  
jam facere mibi liceat. Optarem tantum, ut extantiori at-  
quo modo animi affectum significare possem. Nibit autem re-  
tribuere valeo, praeter mentem gratam, pia vota, hocque mu-  
nusculum chartaceum. Scio eisdem, id in se tale esse, ut  
raneum ruditatem meam, & quam parum in scientiis sim ver-  
sus, prodat peritioribus. Attamen in officia, quae Tibi de-  
beo, valde peccarem, nisi, quantillimumque illud etiam sit,  
Tibi offerrem. Ut igitur, Patrue Propensissime, id ipsum  
pro venerabundi in Te animi pignore ac interprete habere  
digneris, humillime rogo. Vivas diu felix ac soffres, & laeta  
quaeris ac fausta Tibi eveniant!

PATRUI PROPENSISSIMI

Cultor humillimus,  
M. J. WALLENIUS.

Nobilissimo VIRO,  
**DN. ANDREÆ  
RAUTELL,**

Secretario Regio maxime inclyto,

MÆCENATI MAGNO.

Quamvis conspectum Tuum venerabilem, Vir Nobilissime, sors mibi denegaverit; per multis tamen annos Te venerari mibi contigit, inducto tam publica fama, quam præcipue singulari illa benevolentia & magnis beneficiis, quae non tantum b. Parente nostro adhuc vivo, sed etiam post ejus obitum, in nos benigne extare voluisti. Hacce potissima fuit causa, cur exiguum hoc & levidense opusculum Nomini Tuo Nobilissimo humillime sacratum & volui & debui. Quid si gratiouse excidere dignatus fueris, erit id mihi insignis Tui favoris novum documentum, de quo perpetuo sibi gratulabitur, cum omnipigenae prospexitatis adprecatione, permansurus

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Cultor humillimus

M. J. WALLENIUS.

Admodum Reverendus atque Praeclarissimo VIRO,  
Dn. NICOLAO TOLPO,  
Ecclesiarum Cumænsium ANTISTITI, & vicini districtus  
PRÆPOSITO gravissimo.

VIRO admodum Reverendo atque Praeclarissimo,  
Dn. Mag. JOHANNI GRÄU/  
PASTORI ac PRÆPOSITO Ecclesiarum Raumensis, urbi-  
cæ & ruralis, vigilantisimo.

VIRO admodum Reverendo atque Praeclarissimo,  
Dn. Mag. MARTINO GRÄU/  
RECTORI Scholæ Cathedralis Aboënsis meritissimo.

VIRO plurimum Reverendo atque Clarissimo,  
Dn ERICO WALLENIO,  
Concionatori Legionis Pedestris Aboënsis dignissimo.  
AVUNCULIS & PATRUI optimis, qvovis honoris  
cultu prosequendis.

**V**Obis, Avunculi, Patruæ ac Patroni optimi, levissimum  
hoc juvenilis ingenii specimen, in gratissimi animi signum,  
pro plurimis in me tamque domum nostram, ab eo imprimis  
tempore, quo Parente orbati fuimus Carissimo, collatis beneficiis,  
devota offero mente. Accipite igitur has, rudi Minerva elabo-  
rata omniq[ue] nitore destitutas pagellas benigno affectu, me-  
que adbuc in posterum solito favore amplecti dignemini. Ser-  
uet Vos Deus O. M. ad seram usque & prosperam aetatem,  
salvos, sospites & omnigena beatos felicitate, in Ecclesiæ ac Pa-  
triae emolumendum, nostrumq[ue] omnium commodum & gaudium!  
Sic ex intimo pectore vovet

Nominum Vestrorum

Cultor observantissimus,  
M. J. WALLENIUS.



Si. Et siq; x; lv; etenim  
Iustissimis aliisque magistris ins  
tutio et iustitia Romani et per  
Q Va certitudinē & evidētia dari Ens ali-  
q;od supremum & a mundo hoc diver-  
lum agnoscimus, eadem qvōq;ve hunc  
mundum a seipso non existere, sed a su-  
premo isto Ente productum esse, convincimur.  
Nihilo tamen minus, antiquiori imprimis tempo-  
re, repertos fuisse Philosophos, qui de ejus origi-  
ne erroneas, & a fana ratione maxime alienas ten-  
tentias foverunt, deprehendimas. Sic non defuere  
inter gentiles, qui mundum necessario & ab æter-  
no extitisse putarunt. Alii, licet eum, qvoad præ-  
sentem formam, initium aliquando cœpisse non ne-  
gaverint, ipsi tamen materiæ, ex qua deinde con-  
clusus sit, æternitatem & necessariam existentiam  
tribuere. Hi vero rursus in longe diversa abierunt.  
Nam Epicurus per fortuitum atomorum concur-  
sum omnia orta esse voluit. Plato autem Deum pro-  
libera sua voluntate æternæ huic materiæ se adjun-  
xisse, & ex eadem mundum adornasse, putavit.  
Hæ de origine mundi allatæ aliæq;ve ejusdem farra-  
ginis opiniones in eo omnes consentiunt, qvod ma-

A

teria

teria principium Deo coæternum sit. Qui error inde ortum duxit, qvod ex nihilo aliqvad produci impossibile judicarent. Referri huc etiam debent Spinozismus, aliiqve cognati errores, qvibus mundus vel unam eandemque substantiam cum Deo constitutere, vel ex ipsa essentia Divina per necessariam emanationem extitisse afferitur. Fuere contra plurimi, qui rejectis ejusmodi sanæ rationi adversis fragmentis, sobrios philosophantes, mundum hunc in totum a Deo dependentem agnoscunt, & ab ipso creatum esse contendunt. Ex his vero nonnulli magni viri & præclaro ingenio, dum longius progredi voluere, ab altera parte in eo peccarunt, qvod iptum modum creationis curiose rimirari, vel saltem per exempla ac similitudines aliquatenus explicare & conceptibilem reddere, cognati sint. Ast, cum hæc res intellectum humandum longe superet, frustraneus, ne dicam temerarius, hic ausus nobis videtur. Nos igitur ex mandato & auctoritate eorum, qvibus refragari semper netas duximus, specimen aliqvod academicum edituri, constituimus incomprehensibilitatem *Creationis ex nihilo* paucis hisce pagellis ostendere, contrarias autem sententias recentere, &, pro modo ingenii nostri, modeste examinare. Arduo huic & dignitate tua commendabili argumento rite perseqvendo, tenuis & immaturi nostri ingenii vires qvam parum sufficiant, optime nobis conciit sumus, adeo ut etiam ab hoc labore fere deterriti.

ti simus. Cum tamen opus aggrediendum sit, vi-  
res qvam voluntatem id perficiendi a nobis desi-  
derari maluimus. B. l. itaque benignam censuram  
nobis promittimus, urque juveniles hunc conatus  
æqui bonique consulere dignetur, per officiale ro-  
gamus.

## §. II.

**U**T autem in sequentibus eo felicius & inoffen-  
so pede progredi nobis liceat, praemittenda  
erit brevis explicatio vocum, qvæ in rubro opel-  
læ nostræ occurunt, & sensus earum distincte  
evolvendus. Per creationem igitur *ex nihilo* intelli-  
ginus productionem alicujus entis ex nullo alio  
præexistente, sive actionem, qva existentiam acci-  
pit id, qvod antea possibile tantum fuit. In om-  
prehensibile vero aliqvid dicitur, dum modus, qvo vel  
factum est vel fieri potest intelligi nequivit. Qvan-  
do autem hoc de creatione prædicatur. id non i-  
ta accipiendum: quasi absolute & *in se* talis sit,  
vel etiam a nullo ente concipi queat, qvicquid e-  
nim possibile est, id quoque *in se* intelligibile esse  
oportet, & intellectus infinitus, qualis *ip̄i Creatori*  
unice competit, omnia, qvæ sunt vel fieri possunt,  
perfecte, distinctissime & unico actu cognoscit.  
Neque hoc lenius: quasi ex ratione nihil de cre-  
atione constare possit. Sed id indigitamus: qvod,  
licet ipsam actualitatem creationis ex dictamine  
rationis a posteriori cognoscere & colligere quea-  
mus; ipsa tamen ejus natura & modus possibilita-

tis a nemine mortalium ullatenus, ne dicam distin-  
ete, perspicere possit, sed hic ortus ex nihilo o-  
mnem nostrum captum longe transcendat. Hoc  
tamen non obicit, quo minus propriæ definiri  
queat; dantur namque definitiones, ex quibus non  
apparet, an & quomodo definitum sit possibile, sed  
quæ notam ejus duntaxat propriam exhibent. Sic  
allata definitio non nisi effectum creationis, sive  
quid per eam præstetur, indica; modum vero, quo  
fiat, sive ipsam generationem illius, non exponit. Ra-  
tio autem humana non potest relationem mutuam  
terminorum, qui eam ingrediuntur, perspicere,  
adeoque nec ex definitione illa sola decernere, an  
notio ista possibilis sit vel minus. Sufficit tamen  
nobis certo constare, creationem ex nihilo re ipsa  
factam esse, quamvis indolem ac modum assequi  
& explicare haud valeamus, sed hæc ex parte pro-  
insigni & admirando mysterio jure meritoque ha-  
benda sit.

## §. III.

**I**ntra omnes quidem non convenit, utrum crea-  
tio ex nihilo per lumen rationis innoteatur, vel  
falsum apodicticis argumentis demonstrari queat.  
Et si autem negari non possit, Philosophos gentiles,  
dum mundi originem indagare voluerunt, tam mi-  
re hallucinatos fuisse, & in tot monstrosas opini-  
ones incidisse; (confr. §. I.) licet etiam nobis  
Christianis revelatio occasionem quasi præbuerit  
accuratius inquirendi, quantum ratio hac in parte

valeat; non tamen temere negandum, qvod testatur historia philosophica, varios etiam veterum Philosophorum præclare de mundi origine sensisse, & locutos fuisse, quæ exempla collegerunt imprimis Grotius & Huetius. Neque dubitamus, qvin ex principiis tanæ rationis solide probari queat, mundum hunc adspectabilem, nec qvoad præsentem formam, nec qvoad materiam, sive principia sua & elementa, a seipso esse, adeoque ab Auctore aliquo existentiam accepisse h. e. ex nihilo creatum. \* Ostendunt id scripta eorum, a quibus id abunde evictum est. Nihil itaque obstat videtur, qvin omnes Philosophi gentiles idem cognoscere potuerint, modo animo præiudiciis vacuo, adhibita iusta attentione, rationis ductum sequentes, sedulo in rem inquisivissent. Sed quicquid hac de re sit, argumentis tamen a ratione petitis sua certitudo manet. Nos autem pro instituti ratione paucis solum creationem ex nihilo adstruere conabimur.

\* Haec, quæ ad creationem in se spectatam pertinent, a ratione abscondita non sunt. Qvod vero speciales circumstantias concernit; e. g. quæ ad successionem & ordinem creationis spectant, illas ratio sibi relata non potest non ignorare, ideoque barum cognitionis ex sola revelatione haurienda. Cujus rei ratio in eo sita est, qvod haec ipsæ non solum sint res mere historicae, sed etiam plane arbitrariae, & quæ salva ipsa creatione abesse & variari possint; neque ulla proficit indicia, ex quibus easdem colligere licet. Hinc frustraneum foret, ejusmodi res ex ratione im-

vestigare velle, cum nemo illas vel conjectando aseqvi posse, multo minus certi quid de his statuere, nisi per narrationem notitiam earum acquisiverit. Alter autem omnino comparatum est cum creatione in se, quae ex effectibus in hoc universo obviis tuto concluditur.

## §. IV.

**Q**uoniam vero, ut §. I. jam monuimus, Philosophi gentiles imprimis per canonem istum suum: ex nihilo nihil fit, eo inducti sunt, ut materiam mundi æternam statuerent, & hinc etiam creationem ex nihilo negarent; igitur in antecessum paucis dispicere lubet, quo loco effatum istud habendum sit. Est autem sensus ejus maxime indeterminatus, & plures significations admittit. Si nihilum, uti nonnunquam lolet, pro eo accipiatur, quod esse non potest, sive contradictorium est, tum is sensus erit: id quod impossibile est, non posse possibile aut existens fieri; & hoc quidem, nisi quis manifestam contradictionem admittere velit, omnino concedendum. Idem valet, quando nihilum id significat, cui nulla notio respondet. Si rursus nihilum dicatur, ubi aliquid actu non adest; tum non minus certum est, a nihilo, tanquam causa efficiente, quicquam fieri non posse, h. e. non posse aliquid sua quasi sponte fieri, neque in non existente contineri rationem sufficientem, cur quid actu sit vel fiat; sed, si quid ad existentiam pervenire debet, necessario requiri aliquid vere existens, quod id ipsum ad actualitatem perducat. Prout

au-

autem axioma illud sic explicatum maxime evidens est & indubitatum , ita creatio ex nihilo per idem non subvertitur aut labefactatur , sed potius ejus auxilio confirmatur. Deinde potest etiam nihilum spectari ut terminus , a quo aliquid existere incipit , & tum valet istud pronunciatum etiam in eo sensu : quod non possit naturaliter . & per vires entis finiti quicquam produci , nisi jam actu aliquid adsit , quod fundamentum quasi & materiam praebat , unde id ipsum fieri & formari debet. Hinc & per causas naturales nulla nova substantia immediate producitur , sed tantum per certam partium combinationem ac dispositionem res alia forma & figura prodeunt. Si vero saepius nominatus canon eousque extendatur , quasi omne , quod oritur , necessario debeat ex alio ori , adeo ut ne quidem ens infinita potentia praeditum sine presupposita omni causa materiali aliquid producere valeat , tum idem admitti nequit. Non enim solum omni vero fundamento destituitur , cum probari non possit , oppositum ejus quicquam absurdum involvere ; sed etiam falsitas ejus manifesta erit , quando mox pro stabilienda veritate creationis ex nihilo nonnulla adducturi sumus.

## §. V.

**Q**uæcunque in hoc universo nobis se offerunt , ea talia esse comprehendimus , ut aliter omnino comparata esse possint. Sic quod ad corpora totalia attinet , facile appareat , eadem quoad nu-

me-

merum, figuram, magnitudinem, ordinem, distan-  
tiam, motum, reliqua, contingentia esse. Pari mo-  
do nihil repugnat, ut corpora partialia longe alia  
structura partiumque numero, quantitate, situ,  
proportione &c. gauderent. Cum igitur prælens  
rerum constitutio necessaria non sit; ipsa vero ma-  
teria, utpote omni ratione carens, seipsum hoc  
modo determinare non potuerit; sequitur, haec o-  
mnia ab alio quodam Ente sic disposita & ordina-  
ta esse, adeoque præsentem mundi nexum & for-  
mam ab eodem originem habere.

## §. VI.

**Q**uod existentiam ab alio non habet, sed vi ex-  
istentiae suæ existit, id unico tantum modo se  
habere potest, sive ejus omnes determinationes sunt  
necessariae. Actualis namque seu individualis exi-  
stentia habet quoque certum aliquem ac omnimo-  
de determinatum existendi modum inseparabiliter  
conjunctionem, nec absque eo concipi quidem posset.  
Quatenus igitur ens aliquod actu existere ponitur,  
erit illa existentia variis modis determinata; & si  
haec simul sit necessaria, non possunt non quoque  
determinationes istae, quæ eam sequuntur, tales esse.  
Nimirum ratio sufficiens adesse debet, cur haec &  
non aliæ enti insint determinationes. Haec non po-  
test deprehendi extra ipsum ens, sic enim causa  
externa indigeret ad existendum, neque ad id per  
existentiam suam sufficienter foret determinatum, se-  
cundum hypothesis. Ergo in seipso habet rationem  
suffi-

sufficientem earum. Qyoniam tamen dici non potest, qvod libere eas sibi adsciverit, nisi existentiam, & cum hac varias determinationes, jam ante habuisse supponatur, & sic prior iterum recurrit quæstio; leqvitur, qvod per essentiam suam determinatum sit ad hunc existendi modum, adeoque omnes ejus determinationes erunt necessariæ. Unde simul patet, eas esse immutabiles, & ejusmodi ens alium statum induere non posse, aut mutationibus esse obnoxium.

## §. VII.

**C**orpora omnia, qvæ sub sensu nostros cadunt, in plurimas partes resolvi ac dividi posse observamus. Ex Mathesi vero notissimum est, partes quaslibet extensi semper extensione & magnitudine aliqua gaudere, neque unquam fieri posse, ut divisione illa in puncta convertantur. Quousque igitur etiam corporum naturalium divisionem, in partes minores minoresqve, progredi & continuari ponamus, earum quælibet, quantumlibet exigua, extensa adhuc erit, adeoque etiam dimensione, & figura determinata, non potest non gaudere. Hæc autem magnitudo, hæcque figura, qva actu jam præditæ sunt, essentialiter & necessario ipsis non competit, cum in his infinita diversitas sit possibilis. Ergo existentiam a seipso nullam, sed omnem ab alio ente habent. (§. 6.) Qvod vero totam existentiam ab alio habet, id ex nihilo factum esse oportet, (§. 2.) siquidem, si a se-

ipso jam aliquid fuisset, haud ipsam existentiam, sed certum duntaxat statum, ab alio haberet. Ergo partes corporum omnes ex nihilo sunt creatæ. Idem alio quocunque modo evincitur, si eam, quæ multis placet, de elementis corporum, sententiam amplectamur. Hi nempe, ea inducti ratione, quod numerus partium, corpus quodvis constituentium, nequeat esse infinitus, statuunt, dari prima corporum principia, seu unitates ex aliis partibus non compositas, & indivisibiles. Hoc nimurum assumto, ex iis quæ hujus S:phi initio dicta sunt, ita concludimus. Hæc ipsa elementa, & que ac particulæ compositæ, suam habent dimensionem & figuram. Hæ vero determinationes, quales ipsis insunt, non sunt necessariæ. Igitur ratio, cur jam hoc & non alio modo comparata sint, in causa aliqua externa erit quærenda, a qua eadem sic facta esse oportet. Quidam vero partibus carent, & proinde etiam aliam figuram induere nequeunt, ex alia quadam materia præexistente formari non potuerunt. Aut igitur ex nihilo, aut ex substantiis immaterialibus, facta sunt. Si hoc; admittitur tamen eo ipso, materiale illud, quod elementis hisce inest, ex nihilo ortum habere, cum materia in substantiis his immaterialibus nulla supponatur. Ergo elementa hæc ipsa ex nihilo creata sunt. Sed posito etiam, eadem ex principio aliquo priori esse producta, vel hinc tamen creationem ex nihilo admittendam esse probatur. Etenim præexistens illud,

illud, qvalecunque etiam fuerit, sic in aliam plane formam abeundo, insignem mutationem patetur, hinc neque illud a seipso foret, (§. 6.) sic ut nunquam perveniri queat ad aliquid, quod primam corporibus materiam praebere potuerit, quodque simul ab alio non acceperit existentiam, ad eoque in creatione ex nihilo tamen subsistendum sit. Præterea observamus, corpora multis mutationibus esse obnoxia, veluti quando moventur, destruuntur, componuntur, dividuntur. Hæc satis arguunt, ipsa quoque eorum elementa moveri, conjungi, separari, & in se invicem agere, adeoque mutationes subire. Ergo vel hinc sequitur, eadem existentiam aliquando, & quidem per creationem, accepisse. Peti etiam potest, contra necessariam elementorum existentiam, argumentum ex eorum finitudine. Sunt namque singula, quoad extensionem, qualitates ac vires suas, certis & arctis admodum limitibus definita ac circumscripta. Sunt etiam valde imperfecta, & plurimarum perfectionum prorsus incapaciæ; Sic e. g. intelligendi & appetendi facultates a natura materiæ prorsus alienæ sunt. Hinc apparet, essentiam illorum maxime esse limitatam. Existentia igitur necessaria & independens, utpote infinita quædam perfectio, in eadem cadere nequit, aut in essentia illorum limitata fundari; & quod a seipso est, a nulla causa limitari potest. Adeoque existentia eorum est contingens, & ab alio ente dependet. Imo, qui hoc negare vellet, eo ipso ad-

mitteret, plura, & propemodum innumera, entia necessaria dari, cum materia ex stupenda elementorum multitudine componatur, qvod a lana ratione maxime abhorret. Cum igitur ( per hanc & præc. sp̄hum ) singula, qvæ in hoc universo dantur, corpora, tam qvoad sua principia, quam formam præsentem, & nexus ac relationem mutuam, a Deo dependeant; eadem ab illo ex nihilo creata esse perspicuum est. Si ad regnum immateriale transitum facimus, vel levi attentione qvibus facile experitur, animam suam qvovis momento continuas subire mutationes. Valde imperfecta insuper gaudet cognitione, omnesqve illius facultates, & tota essentia, variis modis limitatae sunt. Ex qvibus pari ratione conficitur, animas humanas, æque ac omnia, qvæ ad mundum materialē pertinent, ultimam existentiæ lux rationem in Deo per creationem habere; imprimis cum vix qvisqvam tam absurdus sit, ut easdem ab æterno extitisse sibi pervadeat. Si vero spiritus, nobilioris multo naturæ, ex nihilo oriri possunt, qvidni etiam entia materialia? Deinde, si qvis omnis ejusmodi creationis possibilitatem negaret, eo ipso necessario statuendum ipsū foret: qvod, qvamvis plurima adhuc entia, præter ea qvæ jam actu existant, in se æque possibilia esse, nemo non videat; fieri tamen non posset, ut Deus ulli eorum existentiam largiatur, nisi aliquod jam existens, ex quo nimirum alterum illud faciendum esset, hoc ipso

ipso rursum destrueret. Qvod Deo , ejusqve potentia absoluta & illimitata , maxime indignum est asserere. Enimvero lupervacaneum est de possibilitate creationis ex nihilo prolixe disputare. De hac enim dubitari nequit , postquam actualitas ejus jam est ostenta. Qvod autem ipsius modi , qvo fieri potuerit , notionem nulla imaginationis aut ingenii vi nobis formare queamus , qva de re mox agendum nobis erit , id tantum intellectus nostri imbecillitatem arguit , haud vero qvicquam ipsius rei veritati derogat. Qvis enim ignorat , non pauca , vel in rebus naturalibus obvia , admodum nobis obscura & conceptu difficia , si non plane impossibilia , manere ?

\* Quamvis multa sint , utpote corpora humana , animalia reliquorum & vegetabilium , quorum , quae nunc reperiuntur , individua , non eadem forma , statim a mundi initio extitere , sed ad hunc usque diem , naturaliter gigni & oriri solent ; hoc tamen non impedit , qvin eadem quoque a Deo creata esse dicendum sit. Nam & quoad spe- ciem suam primum a Deo producta sunt , & , quae ipsam substantiam eorum absolvit , materia , seu elementa ex quibus componuntur , existentiam suam , & qualitates ac vices fabi insitas , secundum quas hodieque certa cum forma procreantur , omnino per creationem habent.

**Q**UAMVIS nimis tatis evictum sit , & ulterius adhuc demonstrari posset , creationem ex nihilo rationi patere ; non tamen eosqve pertingit ratio humana , ut directe ex ipsa , quam de eadem haber-

habet, notione imperfecta, possibilitem ejus perspicere queat. Sed quemadmodum multa, quæ nempe facultatem nostram cognoscendi naturalem prorsus superant, tantum propter testimonium infallibilem Divinum credimus, iisque assensum firmum ac immorum praebemus; sic etiam dantur veritates, quæ, ob indubiam experientiam, & certa rationis principia, non possumus non amplecti, licet idearum, quæ eas ingrediuntur, convenientiam vel repugnantiam immediate intueri, nobis concessum non sit; quare a posteriori demum, sive ex cognita aliunde rei actualitate, illam omnino fieri posse, concludere debemus. Et hæc quoque de praesenti materia studio jam laepius inculcavimus. Probavimus etiam hac via veritatem creationis. Restat vero alterum illud, quod jam nostrum erit, nimirum, secundum propositam brevitatem, quibusdam tantum rationibus probare, quod ipse modus creationis a nobis concipi & comprehendi minime possit.

Sicut generatim dupli tantum modo aliquid oriri potest, nimirum: aut ex praexistenti subjecto, aut minus; ita etiam vires, quæ existentiae entium rationem continent, hoc respectu duplices sunt generis, prout vel ex nihilo, vel ex aliquo jam actuali, quid producunt. Vim autem quæ priori modo agit, plus omnino efficere perspicuum est, quam quæ posteriori modo operatur, adeoque & illa hanc longe superat, imo, eadem infinites major

ior est. Etenim virtus, qvæ ex nihilo aliquid præstare valet, qvia nulla re ad agendum indiget, abso-luta nec ullo modo circumscripta est; finita autem vis absqve subjecta materia & temporis successione agere non potest; cum ex adverto creatio, ut s̄pho seqventi ostendemus, momento peragi debeat. Vis igitur creatrix infinita & illimitata esse debet. Qui vero modum, qvo actio aliqua possibilis est, cognoscere cupit, illum oportet vires, qvæ eidem sufficiunt, perspectas habere, & qvo pacto in ipsum effectum producendum influant. Qvare nemo non videt, a natura intellexus, quali nos homines prædicti sumus, limitati abhorrere, ut actionem, qvæ a potentia infinita tantum profici sci potest, eiqve propria est, comprehendat; hoc qvippe admissio illimitati quid in se contineret. Hinc ergo colligimus, creationem, qvatenus effectus est tolius potentiaz infinitæ, nobis incomprehensibilem manere.

## §. IX.

**H**oc ipsum vero clarius adhuc erit, ubi indolem ejusmodi creationis paulo proprius & specialius, quantum fieri potest, consideraverimus. Existentialia & non-existentialia immediate sibi invicem opposita sunt. Hinc inter nihilum & aliquid gradus nulli intermedii dantur. Concipiamus jam aliquid ex nihilo oriri. Qvamprimum definit esse nihil, eo ipso mox incipit existere, sive transit ad actualitatem. In tali igitur ortu nulla successio,

nullum prius aut posterius, locum habere potest. Adeoque creatio, quatenus perducit ens a nonesse ad esse, tota absolvitur simul; momento & instanti, neque in eadem distingvi possunt plura sibi mutuo succedentia. Porro, ea est mentis nostræ conditio, ut uno simplici actu, non possit cogitatione sibi sistere modum, quo actio aliqua perficitur, sed ideam ejus successive sibi comparare debeat, attendendo ad varia illa, quæ actionem ingrediuntur, & modum, quo se invicem inseqvuntur, hæcque inter se comparando demum intelligit, quæ ratione effectus inde prodeat. Quæ cum per modo dicta locum non inveniant circa creationis negotium, hinc mirum non est, quod modum quo fiat, nobis repræsentare nequeamus.

## §. X.

**S**i in originem idearum nostrarum inquiramus, deprehendimus, nullas nobis inesse, nisi quas aut immediate per experientiam, eamque vel externam vel internam, accepimus, aut ex his abstracthendo & combinando formavimus. Applicentur jam hæc ad modum quo sit creatio. Nullam habemus nos ipsi, utpote entia limitata, facultatem ex nihilo creandi. Nullum nobis prostat ejusmodi productionis exemplum, quod sensibus cognosci queat. Non reperitur ullum vestigium talium actionum, quibus hæc notio involvatur. Hinc neque ideam ejus ex aliis, quibus conjuncta sit, licet abstrahere. Ob eandem rationem nec potest hæc

hæc idea componendo ex aliis partialibus derivari, imprimis cum insuper, in hac actione instantanea, plura eam ingredientia distingvi nequeant. Unde igitur hæc cognitio acqvirenda? Videmus omnes nobis vias præclusas esse, ad conceptum qualemcumque modi, quo creatio peragitur, pervenienti. Et quidem, quo majori studio hunc investigare animur, eo minus nos proficere posse experimur. Ubi quæso attentio nostra defigenda est, quando eruere & contemplari volumus modum, quo ex nihilo substantia ad realitatem transit? Stupenda illa virtus, quæ hoc efficere valet, ejusque operandi modus, omnem nostram cogitandi vim superat. Num ex nihilo id intelligi poterit? Qualis heic apparet nexus? Quæ cohærentia aut convenientia? Quæ tandem ratione fieri poterit, ut modum creationis mente concipiamus?

## §. XI.

**G**eneralibus hisce argumentis, & quæ ad omnia creabilia extenduntur, addi etiam possent speciales rationes, ab inductione omnis generis substantiarum desumptæ. Nobis autem tribus tantum verbis hæc tangere sufficiat. Qvod igitur ad res materiales attinet, novimus illas ex stupendo numero particularum constare. Harum vero tam incomprehensibilis est subtilitas, ut sensibus nostris percipi non possint, unde quoque interna earum constitutio nos plane fugit, & nihil de iis scimus. præter id, qvod a posteriori ratiocinando colligimus, nimimum eas materialis esse naturæ, & proinde omnia cor-

poribus propria, exceptis forte iis, qvæ ex compositione resultant, possidere. Præterea ignoramus etiam, qvomodo hæ particulæ coëant, & corpora varii generis constituant; qvænam sit ratio mutuæ illarum cohæsionis; qvalis vis illa sit, qvæ partes has ita inter se conjungit; cur diversa corpora attractionis gradibus invicem differant? & sic porro. Si igitur naturam horum principiorum, & modum, qvo ex iis corpora coalescant, non intelligimus, multo minus in nostra erit potestate, creationem eorum explicare. Facile enim qvisque videt, quantum heic intercedat discriminis. Ibi omnia jam adsunt, modo mutua partium applicatio accedat, heic vero nihil. Si res immateriales consideremus, fatendum est, illas multo adhuc nobis esse obscuriores. Nihil enim de his cognoscimus, præter certas operationes & facultates, qvas in mente nostra experimur; de ipsa vero earum substantia nullam plane habemus ideam. Qvomodo ergo ejusmodi substantiaz ortum, & qvidem ex nihilo, capere qvis poterit?

## §. XII.

**V**eritatem asserti nostri, qvod nempe modus creationis rationi humanæ plane fit imperceptibilis, sic qvidem cuilibet patescere existimamus. Provocari adhuc qvoqve potest ad propriam cujuslibet experientiam; qvia neminem fore speramus, qui, justa attentione adhibita, in semetipsῳ non animadvertis, impossibile proflus sibi esse eundem cogitatione ulla complecti. Nemo etiam

haec-

hactenus fuit , neqve posthac unquam erit , ea perspicacia , ut illum explicare potuerit. Qvoniā tamen nonnulli , iidemqve magni nominis viri , hæc in parte a nobis dissentire videntur; idcirco horum cogitata , sed brevissimis tantum , contemplabimur. Facile vero ex tractatione nostra dispallescit , non nobis cum illis rem esse , qvi geogonia condiderunt , & creatam jam materiam , per regulas motus , illam , qvam nunc habet , formam induisse asseruerunt ; sed illorum nos examinare modeste placita , qvi ipsam rerum ex nihilo productiōnem aliquatenus concipi posse crediderunt. De Ille lustri IS. NEWTONO perhibetur , (4) eum per spatiū suum infinitum atqve necessarium , fundamenti loco præsuppositum , creationem declarare voluisse. Sed qvoniā citatus auctor non exponit , quo pacto hinc modum creationis conceptibilem reddere velit , qvod tamen in re præsenti præcipue attendendum ; & penuria laboramus aliorum librorum , unde mentem ejus haurire possemus , nec Newtoniana , qvæ nobis ad manus sunt , scripta quidqvam huc spectans contineant ; ideo hoc ipsum siccо pede præterire cogimur. Multo magis dilquisitioni de spatio , qvippe qvæ ad caput rei non spectat , & prolixa nimis atqve difficilis futura esset , supercedere nobis liceat. Proinde hoc tantum dixisse sufficiat , qvod vel hac de spatio admissa sententia , concipere tamen nequeamus , qvomodo creatio cum eo cohæreat , aut ex eo deduci & intelligi facilius possit. Vel sic enim creatio ex ni-

hilo procedit; nec spatiū, utpote necessarium & immutabile, causam materialem rerum creandarum constituere ullo modo potest.

(a) J. A. Burckhardt, in den vernünft. Gedankt. über die Schöpfung der Welt überhaupt, C VI §. 9, 10.

§. XII.

**R**Eferri huc etiam potest acutissimus LOCKIUS, qui modum creationis non quidem explicare adgreditur, sed eundem tamen pro plane inconcepibili non videtur habere, quin potius ad sedulam ejus inquisitionem nosmet excitare. Sic enim scribit: (b) Imo, fortasse, si a vulgaribus notionibus liberi, cogitationes nostras, quantum fieri potest, ad rerum ipsarum penitissimum contemplationem intendere vns, consideremus aliquo modo, Et, quasi per caliginem, cerneremus, quomodo materia initio fieri, atque per primi istius Entis aeterni potentiam incipere posset: concipere autem magis foret arduum, quomodo vis omnipotens existendi initium spiritui tribueret. Addit etiam exemplum, quod sicut negari nequeat, motus corporis nostri voluntarios ex libera mentis agitatione & cogitatione tantum oriri, licet haud concipiamus, quomodo quippiam, praeter corporis impullum, corpus loco movere possit; ita neque Entis infiniti potentia, ex nihilo creandi, in dubium vocanda sit, si vel operationes Ejus non comprehendamus. Subiungit deinde hæc verba: Expletur, scilicet influxus hic animæ in corpus, ita ut intelligi possit, tunc creatio quomodo perficiatur, proxime intelligamus (c). Notamus tolum circa prius illud: quod hæc gratis ab

ab ipso dicantur. Cum enim modo evictum sit, modum creationis, ut in genere omnis, ita materiae & que ac spirituum, a nobis omni ex parte esse absconditum; hinc vehementer fallitur; & intellectus sui infirmitatem ignorat, qui eundem se afflicetur fore, sibi pollicetur. Proinde etiam, qui hanc rem indagare vellet, laborem & irritum & inutilem suscipere, imo vix temeritatis notam effugere censendus esset. Convenit ergo nobis sublime hoc mysterium admirari potius, quam curiositate rimari. Qvod ad posteriora verba attinet: magna admodum inter duo haec comparata adest differentia. Posito enim, qvod anima corpus suum dirigat & moveat, nulla apparet ratio, cur naturae ipsius plane repugnet, ut conscientia sibi sit modi, quo actionem istam efficit; licet materiae & que ideis sensualibus adeo immerita & adserita, vel ob rationes nobis non satis cognitas, illum jam ignoret. Ex adverso autem creatio, infiniti Entis opus, longe aliter comparata est, & sub intelligentiam nostram plane non cadit. Et si vel maxime actio mentis in corpus nobis esset perspecta, ea tamen nihil ad creationem facit aut spectat, multo minus viam ad hanc intelligendam aperire posset. Illa quippe non infert nisi certos motus sive mutationes in corpore, qvod ad istas subeundas per structuram ac dispositionem suam aptum est; haec vero productionem substantiae, idque ex nihilo. Nulla igitur inter haec duo datur proportio, sed diversissima plane sunt.

(b)

(b) *De intell. hum. Lib. IV. C. X. §. 18.*

(c) *loc. cit. §. 19.*

### §. XIV.

**V**IR ILLISTRIS GODOFR. GVIL. LEIBNITIUS imaginem qvandam creationis a numeris petere voluit. Cum enim vulgarēm computandi rationem & arbitriam & defectibus obnoxiam reperiret, aliam exco-  
gitavit, arithmeticam nimirum dyadicam, ubi, manens in  
progressione brevissima & simplicissima, duos tan-  
tum assumat characteres, unitatem puta & ciph-  
ram, qvorum ope omnes numeros exprimi posse  
ostendit; servata juxta hac lege, ut ciphrae com-  
petat potestas unitatem binario, ut in vulgari a-  
rithmetica denario, multiplicandi; adeo ut, qvando re-  
motiorem versus sinistram locum unitas ista occu-  
pat, valor ejus continuo in duplum augeri cente-  
tur, ut in secundo loco 2, in tertio 4, in quarto 8,  
& sic porro, significet. Ciphra vero illa eo inter-  
vit, ut indicetur, qvo loco unitas sit posita. Hanc  
arithmeticam tuam non vulgari usui commendat,  
utpote qvæ ob multitudinem characterum esset in-  
commoda. Ita e. g. hic ad exprimendum octona-  
rium 4. opus est signis, qvod in vulgari compu-  
tandi arte fit unico; sed altioribus usibus dicandam  
svadet. Inter qvos & is esset, qvod creationis hic  
compareret imago. Hæc enim unitas omnipoten-  
tiam Divinam repræsentabit, ciphra vero ipsum  
nihil, sive absentiam omnis causæ materialis. Quem-  
admodum igitur unitas & ciphra principia forent,  
qvæ ad originem numerorum reqviruntur; & pro-  
ut

ut hæc in se, & solitarie posita, nihil significat, dum vero unitas varie eidem adjungitur, variis inde prodeunt numeri; pari modo existimat, per omnipotentiam Divinam res omnes, quæ nihil ante fuerunt, posse produci. Communicavit etiam Leibnitius Duci Brunswicensi Rudolpho Augusto, in epistola ad eum data, exemplar monetæ cujusdam cedendæ, quæ ab una parte effigiem hujus Ducis gereret, ab altera vero, cuius aliqualis pagina dissertationis nostræ ultima extat delineatio, imaginem hanc creationis exhiberet. At quantumvis hæc cogitata videri possent primo intuitu speciosa, paulo tamen proprius considerata, nullius hac in re deprehenduntur esse momenti. Omnes namque numeri in se & proprie spectati non sunt nisi unitatum multitudo quædam, sive ex unitate aliquoties repetita constant. Cum itaque unitates compositionem eorum unice ingrediantur, ex ciphra sive nihilo numeros oriri nequaquam dici potest. Qvod autem valor signi istius positivi ciphris adpositis multiplicetur ac intendatur, id proprio non his adscribendum venit, sed translationi notæ illius in altiore locum; unde neque ciphra huc semper necessaria est, quando nimirum aequaliter ejus ope loca illa determinantur. Sic e. g. in III nulla quidem reperitur ciphra, sed tamen unitas prima, quia tertium occupat a fine locum, significat 4; altera, quia secundum, 2; & ultima denique 1, totaque adeo series. 7. Et hæc methodus numeros designandi, qua nimirum valor alicu-

alicujus characteris ex loco quoque ejus estimatur, & quæ etiam in arithmeticâ communâ decadâ obtinet, tantum ab arbitrio humano dependet, & quia numeratio sic facilis, commoda atque expedita redditur, est recepta. Sed ut rem in compendio sistamus: hæc similitudo hoc non congruit; primo, quia numeri sunt tantum conceptus abstracti, ad multitudinem rerum quârumcunq; distincte cognoscendam comparati, nec habent realem existentiam, quemadmodum quæ creationis sunt obiecta. Deinde origo eorum, si ita loquileat, est intellectu maxime facilis, plana & naturalis; componuntur enim ex partibus iisdem atque homogeneis; creatio contra nullam supponit causam materialem, quæ res producendas ingrediatur, sed causam duntaxat externam efficientem. Porro ratio illos designandi actualem mutationem non infert, nec hanc vel illam significandi vim per se, verum ab arbitraria impositione, habet, & proinde conceptibus nostris solum intervit; creatio autem non in ideis solis, sed ipso actu, fit. Numeri itaque nihil habent cum creatione commune, sed singitur saltem, ubi nulla excipi potest, similitudo; quod in tam sublimi & ardua re nimis imprudenter atque audacter factum videtur.

## §. XV.

**Q**uamvis Cel. *WOLFIUS* creationem nobis esse plane inconceptibilem disertis his verbis pronunciet: Gott hat denen Dingen / die durch seinen Verstand bloß möglich waren/ auch durch seine Macht die

die Würckigkeit gegeben. Diese Würckung Gottes wird die Schöpfung genennet ; von welcher wir keinen Bes-  
griff haben / weil wir keine Kraft haben etwas zu  
erschaffen. ( d ) Mox tamen subiungit : Man kan  
sich die Schöpfung einiger massen durch die Kraft der  
Einbildung vorstellen / indem unsere Einbildungen sich  
gegen die Seele verhalten / wie die Creaturen gegen  
Gott / wenn wir den Saß des zureichenden Grundes  
nicht aus den Augen sehen. Denn wir bringen als-  
denn Dinge hervor in Gedanken / in denen Wahrheit  
ist / und die zuvor nicht da waren / nach unterm  
Wohlgefallen / und erhalten sie durch die Kraft der  
Seele gegenwärtig / so lange wir wollen. Jedoch  
können wir ihnen keine Würckigkeit außer der Seele  
geben / welches doch Gott in der Schöpfung thut /  
und darin eigentlich die Schöpfung besteht. Et hæc  
qvidem ultima verba faciunt, ut absqve omni ratio-  
ne sufficienti simile hoc adductum nobis videatur.  
Qvæ enim similitudo ipsam rem repræsentandam  
nihil clariorem reddit , pro nulla erit habenda , et  
iamsi fortassis in generaliori aliqua circumstantia  
eidem conveniat. Alioquin ex qvolibet cuiuslibet  
similitudinem pro lubitu effingere facilissimum foret:  
Neqve productio hæc rerum idealis & imagina-  
ria sit ex nihilo. Vel enim ideæ , qvæ ante in a-  
nimo adfuerunt , ex occasione objectorum & præ-  
viarum idearum , denuo præsentes fiunt , vel ex  
aliis ideis novæ vario modo formantur. Ex his  
qvoqve apparet , creationem per infinita alia simula-  
cra æqye commode , si non melius , adumbrari  
D posse

posse. Sic e. g. dum inventione, arte & opera humana res, qvæ actuali gaudent existentia, producuntur, ejusmodi inquam actiones propiorem adhuc eum creatione habent convenientiam. Sed hæc tantum loquimur ex hypothesi; certissimum enim manet, nullum reperiri posse, ex naturalibus aut humanis, simile, qvod non a creatione tantum distet, quantum qvicquam potest longissime.

(d) In den vernünft. Gedanck. von Gott / der Welt und der Seele des Menschen/ §. 1053.


§. XVI.

**A**ccuratiorem & prolixiores pertractionem argumentum hoc quidem mereretur. Ast variæ circumstantiæ eidem diutius immorari nos prohibent. Digneris ergo, b. l. mitiori censura perstringere pauca atqve incomita hæcce, qvæ rudi Minerva, distracto animo & testinanti manu in chartam conjecimus. Cogitemus vero jam incomprehensibilem totius hujus universi magnitudinem & stupendam vastitatem; infinitam rerum, qvæ inibi reperiuntur, multitudinem ac varietatem; earumque admirandam naturam, structuram & compositionem; myriades etiam præstantissimorum spirituum, de qvibus ex revelatione informamur. Hæc omnia, per virtutem suam infinitam, omnipotens Creator produxit ex nihilo, absqve ope & administriculo ullius instrumenti, aut subjectæ materiæ. Feicit inquam artificiosissime & sapientissime, sed simul etiam absqve ulla molestia & operola molitione, solo efficacissimo suo verbo atqve mando-

to. Ad horum justam considerationem animus plane obstupecit, & in profundam admirationem rapitur. Discamus igitur summas summi Conditoris perfectiones, vel ex hoc opere conspicuas, agnoscere, corde venerari, ore prædicare. Faxit ille ipse Creator, ut tandem, cum incolis cœlestibus, æternis Eum laudibus celebrare nobis liceat & exclamare:

Ἄξιος ἔστιν, κύριος, λαβεῖν τὸν δόξαντα καὶ τὸν πνεῦμαν καὶ τὸν δύναμιν, ὃν σὺ ἐκάπιας τὰ πάντα, καὶ διὰ τὸ Θελημά σου ἐπέδειπτος.

## Apoc. IV, 3.



58  
Til Herr AUCTOREN,

SONNET.

**S**är Mansligheten sig i tidens wida stöd  
Framwiste, och vår Verld sig först i ämnet ledde,  
När hon sig styckewis utur sin Linda redde,  
Och all des Fågning fram utur ett Inte bröt:  
Då hände, att om hvad af sådant ursprung stöd,  
Som först af Inte blef, och af Förfwändling ledde  
Sin mognad hän, en så'n försättning åsven stedde,  
  
Att hon deröfwer se'n ett ostränkt Välde nöt.  
Er idknad, min Czusin, som då I öfwerwagen  
Hur' alt af Intet är, til dese tanckar get  
Anledning, minner mig ock på att önska Er  
En rik Belöning för Er flit, som är så trågen;  
Och att Er lycka i des skiften blir benägen:  
Då Manslighet i alt man oundgånglig ser.

JER. WALLENS.

Frater summopere dilecte.

Quemadmodum genuinis amicis, præsertimque  
arceta necessitudine conjunctis, id maxime pro-  
prium, ipsaque natura injunctum esse solet, ut re-  
bus mutuis, prout prospere vel inauspicato fesse ha-  
bent, aut insigni iucunditate aut dolore tangantur;  
ita non possum non, ut sanguinis vinculo Tibi pro-  
xime adstrictus, quin praesenti occasione intimum ere-  
ga Te animi affectum, & hanc profecto medio-  
crem illam voluptatem, quam ex felicibus tuis in  
studii progressibus abunde percipio, modo quocun-  
que, tribus saltem verbis, declarerem. Virtus non mie-  
nus quam singularis industria Tua in eo maxime  
elucet, quod in etate nondum matura hanc im-  
maturi ingenit fætum, eruditionisque hanc vulga-  
ris specimen, rite eaideris. Idque eo laudabilius,  
quod, eum rationis ingenuus cultor, aliorum etiam  
magni nominis virorum de creatione ex nihilo oo-  
pinionibus non adhaferis, quin potius, iisdem æqua  
judicij lance pensatis, eas ut frivolas minimeq[ue]  
aptas ad possibilitatem ejus explicandam, rejeceres,  
contraque imperceptibilem plane ejus modum sat suf-  
ficientibus demonstratum iveris rationibus. Dura  
est, pro dolor! fuere fata, quæ iter nobis ad sci-  
entiarum & eruditionis arcenæ præpeditum reddid-  
derunt;

derunt; nihilo tamen minus eo firmiori animo &  
enixiori opera eam ingrederis viam, quæ recta ad  
eandem dicit, hacque ratione non tantum exem-  
plu Tuo nos incitare ad alacrius studia nostra per-  
sequenda, verum etiam aliquid afferre videris ma-  
tri nostræ gaudium, quæ jacet in viduo lugens &  
morbida lecto. Gratulor Tibi jam pulcrum hunc-  
ce in scientiis gradum, gratulor quoque honorem e  
publico hocce specimine in Te redundantem: mihi-  
met vero ipsi in sinu gratulor de fratre fauntricis  
natura donis bene instructo. Insuper exopto vo-  
voque, velit supremum Numen benedictione sua  
semper Tibi adesse, honestisque tuis conatibus eto  
jam posthac exoptatissimum largiri successum, ut  
studia tua in Ejus Nominis gloriam tuumque com-  
modum vergant!

Sic ex intimo pectore fausta quaevis Tibi  
adprecatur,

Frater tuus candidus,

JEREMIAS WALLENIUS.